



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

V. Quænam Moniales clausuræ astringantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

- 3 Hinc sequitur, quod locus clausuræ sit, qui continetur ianua clausa, ad quam secularibus non patet accessus; consequenter si locus, etiam Ecclesia, sit eiusmodi, in quem seculares admittantur, esse censetur extra clausuram Monialium; ita ut si eò illæ exeant, clausuram violent. Bonacina de clausura, questione 1. punct. 1. Gauantus in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, num. 10. & seqq. & Lezana cit. num. 18.
- 4 Sequitur secundò, quod Moniales ascendentes supra recti regulas, si intra eam partem, quæ Monasterium respicit, contineantur, clausuram non violent; secus, si eam prætergressæ alienam recti partem transseant; quia cum prior pars ad Monasterium pertineat, est intra clausuram; non sic posterior, quæ alterius domus, non autem Monasterij pars est. Doctores in locis supra cit. & alij quos citat, & sequitur Lopez de Texeda in Controuers. moral. num. 1. lib. 2. controuers. 14. dub. 8. num. 9. Quod inde confirmatur,
- 5 quia ex communi sententia Doctorum, qui inuentus est super regulas Ecclesiæ, habetur ac si inuentus esset in ipsa Ecclesia; quapropter gaudet immunitate Ecclesiæ.
- 6 Sequitur tertio, quod cum Pius V. in Motu proprio, qui incipit: Circa Pastoralis, præcipit, ne Moniales Monasteriis, seu domibus propriis egrediantur, per domos ibi non intelligat alias Monasterij domos distinctas ab ipso Monasterio, sed intelligat ipsum Monasterium, ita ut Monasteria, & domus pro eodem vsurpet: nam ly seu, sicut & sine, non sensum, sed sola verba disiungit, teste Abbate cap. inter cetera, num. 4. de re scriptis, quem sequuntur Nauarr. comment. 4. num. 44. notab. 4. de Regular. Rodrig. 99. Regular. tom. 1. questione 44. artic. 3. & alij passim.
- 7 Quapropter Monialis, siue iuste, siue iniuste è Monasterio egressa, & intra domum aliam priuatam inclusa, ex hac egrediatur, clausuram non violat, cum domus hæc Monasterium non sit, sed aliud quid à Monasterio distinctum, & sic non egrediatur ex ambitu Monasterij. Nauarr. citat. Commentar. 4. num. 44. Bonacina de clausura, cit. questione 1. punct. 2. & Lezana cit. tom. 1. cap. 25. num. 18. Quod adeo verum est, ut intra clausuram non comprehendantur domus Monasteriis contiguæ, intra quas conuersæ professæ elemosynis colligendis destinatæ morari debent, ob eandem rationem, quia hæc non sunt Monasterium, domus Regulares, seu locus clausuræ, sed sunt extra clausuram, ita ut inde conuersæ professæ egredientes (etiam ad inhonestam perpetranda) non violent clausuram, & eo licite seculares, non sic Moniales, ingredi possint sine violatione clausuræ. Nauarr. loc. cit. num. 36. Bonacina de clausura, quest. 1. Tamburinus de iure Abbat. disp. 19. quest. 5. ad 7. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 18. & verb. Clausura, num. 8. vide etiam quæ dicuntur d. b. 16.
- 9 Quid autem dicendum sit de Moniali, quæ se ponit in Rota, & facit illam volui versus partem exteriorem, ubi non est clausura, ipsa tamen Monialis non egreditur è Rota?
- Respondetur, quod (licet probabiliter teneant Comitoli in respons. Moral. lib. 6. quest. 3. & Portellus in dub. Regular. verb. Clausura Monialium, num. 24. talem Monialem violare clausuram, & sic incurrere poenas impositas contra violantes clausuram, ex eo, quia sic accessit ad locum, ad quem seculares licite accedunt, quod fieri expresse prohibetur in Bulla Gregorij XIII. tamen probabilius negetur, saltem ratione paruitatis materiæ, esse quid notabile contra clausuram; quia talis Monialis in casu dicto non egreditur, saltem notabiliter, ex ambitu clausuræ, sed se habet, ac si esset in ostio clausuræ: quod non est sal-

tem quid notabile, contra clausuram. Doctores quos citat, & sequitur Diana p. r. 3. tract. 2. re. 10 fol. 52. Cæterum quod in egressu è clausura, sicut & in ingressu ad illam, detur paruitas materiæ, dicam infra dub. 53.

DUBITATIO V.

Quænam Moniales clausura astringantur?

S V M M A R I V M.

- 1 Moniales professæ etiam Ordinum Militarium S. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. astringuntur clausura.
- 2 Moniales cuiuscunque ordinis, etiam si Hierosolymitana sint, comprehenduntur in decreto de clausura.
- 3 Moniales, quæ ante Tridentini Decretum clausuram seruare non consueuerant, astringuntur clausura.
- 4 Decreti Concilij de clausura potius mens quam verba sunt attendenda.
- 5 Motus proprius Pij V. & cap. periculoso, de statu Regul. in 6. interpretatur.
- 6 Moniales conuersæ, & tertiaria cuiuscunque Ordinis, vel Congregationis, si verè utraq; professæ sunt, astringuntur ad clausuram.
- 7 Conuersæ prædictæ, ubi est consuetudo, quod pro quæstu exeant à Monasterio, dummodo habeantur licentiæ necessaria, & sint ætatis saltem 40. annorum, & non sint plures quàm octo, tolerari possunt.
- 8 Mulieres in Congregatione modum aliquem viuendi religiosum vouentes, hortandæ sunt ad sollemniter profitendum, & ex tunc ad clausuram tenentur. Quod si facere recusauerint, non licet in posterum aliquam in Congregationem admittere, sub poenâ nullitatis professionis.
- 9 Moniales, quæ faciebant professionem ea conditione, ut clausura non obstringeretur, probabiliter non sunt professæ.
- 10 Oblatæ non tenentur ad clausuram, quia non sunt verè Moniales, nec professionem emittunt.
- 11 Nouitiæ cuiuscunque approbatæ Religionis non tenentur ad clausuram, quia neque hæc sunt professæ.
- 12 Nouitiæ egredientes è Monasterio ex causa rationabili, non interrumpunt nouitium; secus si egrediantur sine causa, licentiâ, vel habitu.
- 13 Nouitiæ si egrediuntur de licentiâ Abbatissæ, malè tamen concessa, adhuc tamen non interrumpit nouitium.
- 14 Nouitiæ dari non potest licentiâ egrediendi ad visitandos parentes.
- 15 Profitens ea conditione, ut in domo propria maneat, non tenetur ad clausuram.
- 16 Priuilegium obtentum à Monialibus aliquibus ante Concilium Tridentinum, & motum Pij V. viuendi intra conuentum in aliquibus locis honestis, non suffragatur.
- 17 Moniales, quæ vel ex regula, vel ex voto tenentur ad clausuram, peccant eam violando contra Regulam, vel votum, vel etiam contra præceptum Ecclesiasticum.

Respondetur, & dico primò, astringi Moniales professas, etiam Ordinum Militarium, S. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. Probatur ex Trident. sess. 25. de Regular. cap. 22. ibi: Hæc omnia, & singula in

in superioribus decretis contenta observari S. Synodus præcepit in omnibus Cœnobitis, de Monasteriis quorumcumque sanctimonialium, etiam illi sub gubernio Militiarum, etiam Hierosolymitana vivunt, & quocumque nomine appellantur, sub quacumque Regula, & Constitutione. At vnum ex decretis ibi contentis est de Monialium clausura: ergo, &c. Probatur secundo ex cit. Motu proprio Pij V. ibi: Cuiuscumque Ordinis, vel Militiarum, etiam Hierosolymitana sint; quæ dictio etiam, in utroque decreto significat, comprehendit etiam Religiosas, quæ sunt aliarum Militiarum & Religionum. Nauar. n. 44. Rodriguez q. 9. Regul. tom. 1. q. 44. art. 1. & 3. & tom. 3. summ. in addition. in c. 95. concl. 5. Portell. in addit. ad dub. reg. Lezana verb. clausura, n. 23. & tom. 1. c. 25. num. 17. Llamas in append. §. 1. in fin. & Layman lib. 4. tract. 5. c. 12. n. 1. quidquid in contrarium quidam dubitarint.

3 Dico secundo, astringi etiam Moniales, quæ ante Tridentini decretum clausuram servare non consueverant: probatur ex Tridentino loco cit. ubi iubetur, in quibuscumque Monasteriis servari omnia decreta illius sessionis 25. de Regularibus, inter quæ vnum est huius clausuræ, etiam si a tempore immemorabili sit contraria consuetudo: quod & confirmat Pius V. in cit. Motu proprio, Circa pastoralis, ibi: Etiam si ex institutis, vel foundationibus earum Regula ad clausuram non teneantur, nec unquam in eorum Monasteriis, ne domibus, etiam ab immemorabili tempore servata fuerit.

Obiicies, in cit. loco Tridentini, dicitur: Universis Episcopis præcipit S. Synodus, ut in omnibus Monasteriis clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restituat, & ubi iniuncta est, conservari maxime procurent. At non dicitur violari, nec restitui, quod nunquam fuit: ergo.

4 Respondetur, mentem potius Tridentini, quam verba illius spectari debere, iuxta Reg. fin. de R. g. iuris in 6. præsertim cum Tridentinum ibi universis Monialibus clausuram præcipere intendat: & cap. 5. sic habeat: Ubi id præceptum violatum est, non introducta clausura (& hoc dicitur, clausura violata) restituatur, id est, instauretur, & reducat ad clausuram debitam vi illius præcepti.

5 Instabis, in cit. Motu, Circa pastoralis, & cap. periculo in princip. de statu Regular. in 6. dicitur: Decernimus universas Moniales, si tacite, vel expresse Religionem professæ sunt: ergo solæ Moniales, quæ clausuram profitentur, videntur ad illam teneri.

Respondetur, ibi disponi de professis tacite, vel expresse Religionem, ad excludendas Novitias, & alias non professas; non autem de professis clausuram.

6 Dico tertio, astringi etiam ad clausuram Moniales Conuersas, & Tertiarias cuiuscumque Ordinis, vel Congregationis, si verè utraq; professæ sint: Probatur, quia in dicto Motu Pij V. Circa Pastoralis, id expresse præcipitur, & docent ex communi sententia Doctorum Nauar. n. 45. Rodrig. quest. 44. art. 4. Llamas, Lezana, & Layman in locis supra cit. quidquid in contrarium dixerit Corduba in annotationib. verb. Clausura Monialium, notab. 1. qui scripsit ante dictum Motum Pij V.

7 Cæterum licet prædictæ Conuersæ, sicuti dicebam, ad clausuram teneantur, ita non possint neque ad altare in Ecclesia exteriori orandum egredi, prout declaravit S. Congregatio Episcoporum, & Regularem, 17. Octobr. 1592. nihilominus ubi fuerit consuetudo prædictas Conuersas in Monasterio egredi pro quæstu, tolerari potest, dummodo habeantur licentiæ necessariae, & tales Conuersæ sint ætatis saltem 40. annorum, non sint formosæ, & foris non peregrinent, & non sint plures, quam octo ad quæstum

destinatae, & si deinde non egeant, cessent à quæstu prout etiam declaravit eadem sacra Congregatio apud Gauantum in Manual. Episcop. verb. Monialium clausura, n. 18. & segg. qui n. 20. subdit, quid dicendum sit de Monialibus conuersis, si similiter egeant, & ego dicam dub. 16.

Dico quarto: Mulieres in Congregatione modum aliquem viuendi religiosum vouentes, hortandas esse, quod solenniter profiteantur, & ex tunc ad clausuram teneri, quod si id facere recularint, & voluerint in Congregatione vivere sine clausura, non licere eis aliquam in posterum in suam Congregationem admittere: sic expresse statuitur in citato Motu proprio Pij V. ubi & sic subditur: Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, ac receptiones irritas decernimus, & nullas. Quod intelligas de receptionibus in posterum contra hoc decretum factis, non item de receptionibus, quæ dictum decretum antecesserant; quia lex loquitur, & prospicit in futurum. Vide Nauarum n. 45. & Rodriguez tom. 1. q. 44. art. 3.

An autem quædam Moniales, quæ faciebant professionem ea conditione, ut clausuræ non obstringerentur, verè essent professæ? Respondetur cum Miranda in tract. de Monialib. q. 1. art. 4. probabiliter negatiue; quia Motus Pij V. videtur irritasse, & annullasse simpliciter dictas professiones.

Ex dictis sequitur, ad clausuram non teneri Oblatas, quia non sunt verè Moniales, nec professionem emittunt, sed vel nullo voto obstringuntur, vel solum votis simplicibus. Nauar. num. 47. Zetola in præf. Episcop. p. 1. 1. verb. Moniales, ad 16. quest. dub. 4. Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. quest. 1. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 17. Graff. 1. part. de i. lib. 4. cap. 33. Rodrig. cit. q. 44. art. ult.

Sequitur secundo, ad clausuram neque teneri Novitias cuiuscumque Religionis approbatæ, quia neque hæ sunt professæ, & textus omnes clausuram adhibentes loquuntur solum de tacite, vel expresse professis. Doctores supra cit. & Graff. 1. p. de i. lib. 4. c. 23. num. 17. Rodrig. cit. art. ult. in fin. & Nauar. etiam lib. 31. consil. tit. de Regular. 81. & 82. & cit. de statu Monachorum, consil. 6. & consil. 7. n. 1.

An autem egredientes è Monasterio interrompant Novitiatum, & desinant esse Moniales?

Respondetur negatiue, si egrediantur ex causa rationabili, v. g. morbi grauis curandi, & ex licentia Superiorum, & cum habitu; quia talis egressio cum his circumstantiis arguit vnionem, & permanentiam in Religione, saltem quoad effectum: secus si egrediantur sine causa, licentia, vel habitu; quia talis egressio è contra arguit retrocessionem ab obedientia, Religione, vel habitu. Sic S. Congregatio, quam refert, & sequitur Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 8. n. 16. qui subdit, quod si Novitia egrediantur de licentia Abbatissæ, male tamen concessa, adhuc tamen per talem egressionem non interruptatur Novitiatum, quantum est ex vi iuris communis. Videri etiam poterit Barbosa de potest. Episcop. alleg. 101. n. 23. & 28. & Gauantus in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, n. 13. qui refert eandem S. Congregationem declarasse, non posse Novitiæ dari licentiam egrediendi ad visendos parentes.

Sequitur tertio, quod si hodie licet aliqua profiteatur ea conditione, ut in domo propria maneat (prout permittitur in cap. fin. qui clerici, vel vouentes) neque ad clausuram teneri istam talem professam; quia cit. textus loquuntur de Monialibus in Congregatione viuentibus, uti constat ex Motu Pij V. ibi: Mulieres quoque, quæ Tertiarias, seu de Penitentia dicuntur, cuiuscumque Ordinis fuerint, in Congregatione viuentes. Et docent Nauar. comment. 4. n. 45. & Graff. cit. c. 23. n. 17.

R 4 Sequi

- ¹⁶ Sequitur quartò, quod si quæ Moniales obtineant ante Tridentinum, & Motum Pij V. priuilegium Pontificium viuendi intra Conuentum in aliquibus locis honestis, tale priuilegium eis non suffragari; quia
- ¹⁷ omnia huiusmodi priuilegia sublata sunt per Tridentinum, & dictum Motum Pij V. suffragabitur tamen, si sit priuilegium obtentum post talia Decreta. Nauar. cit. *comment. 4. num. 53. notab. 2. & 3. & alij passim.*

Cæterum, quid peccent Moniales clausuram non seruando.

Respondetur, quod quæ ad illam tenentur ex Regulæ statuto, vel ex voto, peccent contra Regulam, vel votum, & etiam contra præceptum Ecclesiasticum. Quæ verò ad illam non tenentur, nec ex Regulæ statuto, nec ex voto, peccent solum contra præceptum Ecclesiasticum, propter textus scilicet *supra* allegatos. Rodrig. cit. *quæst. 44. art. 2. ad 1. ex communi sententia Doctorum.*

DVBITATIO VI.

Ad quemnam spectet astringere Moniales ad clausuram?

SUMMARIUM.

- ¹ Episcopus in Monasteriis sibi subiectis auctoritate ordinaria, in exemptis auctoritate delegata, debet astringere Moniales ad clausuram.
- ² Idem dic de Prælati exemptis.
- ³ Lex interpretans in dubio intelligi debet iuxta legem, quam interpretatur.
- ⁴ Lex noua interpretans recipit omnes interpretationes veteris, etiam si strictius loquatur.
- ⁵ Motus Pij V. qui incipit, circa Pastoralis, perpenditur.
- ⁶ Ex Tridentini Concilij dispositione etiam Monasteria Sedi Apostolica immediatè subiecta Episcoporum gubernio subiacent.
- ⁷ Declarationes Sacre Congregationis Cardinalium faciunt opinionem satis probabilem; non tamen contrariam reddunt improbabilem.
- ⁸ & ⁹ Seculares magistratus prestare debent auxilium brachij secularis, si opus sit, uti ad cogendas Moniales ad clausuram sub excommunicationis non reſeruata pœna ipso facto incurrenda, secus autem Principes, qui tantum à Concilio Tridentino ad huiusmodi auxilium præstandum exhortantur.
- ¹⁰ Exhortatio non importat præceptum.
- ¹¹ Nomine Magistratum secularium veniunt etiam Ecclesiastici, si iurisdictionem ſecularem exercent.
- ¹² Episcopi, & alij locorum Ordinarij non tenentur sub pœna peccati mortalis publicare quotannis decretum de clausura Monialium; sed sufficit si semel publicatum fuerit.

¹ Respondetur, quod quamvis aliqui, ut Zerola loco *supra* cit. ad 4. & 8. quæſt. satis probabiliter sentiant, id in vniuersum spectare ad Episcopum, moti ex Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 5. vbi* videtur talis facultas Episcopis concedi respectu omnium Monasteriorum etiam exemptorum, quæ Regularibus subiiciuntur, sic enim ibi habetur: Bonifacij VIII. Constitutionem, quæ incipit *Periculoſo*, renouans S. Synodus, vniuersis Episcopis sub obſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis ordinaria in alijs verò Sedi Apostolicæ auctoritate clausuram ſanctimonialium, vbi

violata fuerit, diligenter reſtiti, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maxime procurent, inobedientes, atque contradiſtores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliſque pœnas, quacumque appellatione poſſiſſa, compeſcent. Quod etiam ſæpè declarauit S. Congregatio, teſte Gallero *verb. Clausura, num. 1. Barbosa de offic. & poeſt. Episc. allegat. 102. num. 6. & ſeqq. & in collect. verb. clausura, Gauanto verb. Monialium clausura, num. 47. 58. & ſeqq.* nihilominus ſatis probabiliter etiam cum Nauarro cit. *Comment. 4. num. 60. Llamas in append. §. 3. Graſſi. 1. part. deciſ. libro 4. cap. 23. num. 6. Miranda tom. 1. quæſt. 46. art. 6. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 12. n. 1. Bonacina de clausura, quæſt. 1. punct. 6. n. 1. & quæſt. 4. punct. 2. & Lezana verb. Clausura, num. 24. etiam dici poſſit, quod ſpectet ad Episcopum auctoritate ordinaria aſtringere Moniales ſibi ſubiectas, & auctoritate Apoſtolica aſtringere Moniales immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiectas, exemptas verò ab Episcopo, & ſubditas alijs Prælatiſ exemptis aſtringere ſpectet ad ipſos Prælatos exemptos aliorum Ordinum.*

Probatur primò ex cap. *periculoſo*, §. *ult. de ſtat. Regul. in 6. ibi: Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis mandamus, quatenus eorum quilibet in ciuitate, ac diœceſi propria in Monasteriis Monialium ſibi ordinariè iure ſubiectis, ſua; in his verò, quæ ad Romanam immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedi Apoſtolice auctoritate: Abbates verò alij, tam exempti, quam non exempti Prælati Eccleſiarum, Monasteriorum, & Ordinum quorumcumque in Monasteriis huiusmodi ſibi ſubiectis de Monialibus includendis quamprimum commodè poterunt, providere procurent. Quod Decretum non reuocat Tridentinum, quin innouare proteſtatur, & interpretatur, & lex interpretans in dubio intelligi debet iuxta legem, quam interpretatur, & recipit omnes illius interpretationes, etiam ſi lex noua interpretans ſtrictius loquatur, vt communiter Doctores.*

Secundò, ex Motu proprio Pij V. *Circa Paſtoralis*, §. *ibi: Mandantes Patriarchis, &c. quatenus in Monasteriis Monialium ſibi ordinario iure ſubiectis, ſua; in his verò, quæ ad Romanam mediata, vel immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedi Apoſtolice auctoritate, vna cum Superioribus eorumdem Monasteriorum clauſuram ſeruari procurent. Et paulò poſt: Iuxta formam diſtæ Conſtitutionis Periculoſo, in Sacro Concilio Tridentino approbatam, & innouatam, quam etiam nos auctoritate præſata approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam diſtrictè obſeruari mandamus.*

Tertiò, ex Tridentino *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 9. vbi* ſtatuitur, quod non Monasteria exempta Regularibus ſubiecta, ſed quæ Sedi Apoſtolicæ ſunt immediatè ſubiecta, ab Episcopis gubernentur.

Ad oppoſita ex dicto Tridentino *cap. 5. patet* ex dictis, quæ ſit mens ipſius Tridentini, ibi: Ad Cardinalium declarationes reſpondetur, quod de ipſis non conſtet authenticè; & quod faciant opinionem quidem ſatis probabilem, non autem quod reddant contrariam improbabilem, ob rationes dictas.

Cæterum, ſi vt Moniales ad clauſuram cogantur, opus fuerit auxilio brachij ſecularis, id inuocandum erit, & præſtandum à ſecularibus, vt conſtat ex Tridentino cit. *cap. 5. ibi: Inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, quod auxilium, vt præbeat, omnes Chriſtiani Principes hortatur S. Synodus, & ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda omnibus Magiſtraibus ſecularibus iniungit.*

Vnde ſit, quod ſi Principes hoc auxilium ſine iuſta cauſa denegent (licet peccent contra illam legem, cum ex officio ſibi iniuncto ad illud iuſtè petentibus præſtandum teneantur, iuxta *cap. 1. de offic. Ordin. cap. Principes de maior. & obed. cap. duo, & cap. ſi Imperator, diſtinct. 96. & docet Nauar. Comment. 4. num. 46. & alij paſſim*) tamen non peccant contra hoc decre-

tum